Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 839

Quelle:
Copyright:

fridi cancellarii. Unitas *una* fefellit Librarium; neque enim in annum 1173. cadit *Indictio* VII. ſed in an. 1174. et hoc demum anno *Fridericus* celebravit *Ratisponae* curiam *tam celeberrimam*, ut ait *Chronicon Reicherſpergenſe* ex edit. *Gewoldi* p. 241. *quod nulla memoria eſt vnquam talem habitam in partibus Bauariæ.* Deeſt mentio hujus *Dipl.* in *Georgiſchii Regeſtis*, neque in *Monumentis Boicis* Chartae Coenobii *Windbergenſis Vol.* XIV. adlatae illud continent.

IV. *fol.* 183. *Incipit epiſtola quam miſit Johannes presbiter ab india Emanueli regi Grecorum.* Initium ſic habet: *Presbiter Johannes potentia et uirtute dei et domini noſtri ihesu chriſti rex regum et dominus dominantium terrenorum. Emanueli romeorum gubernatori ſalutem. gaudere et gratia ditanti ad ulteriora tranſire. Nuntiabatur apud maieſtatem noſtram, quod diligebas excellentiam noſtram* &c. Nugae nugarum. Inter alia *Pretejanes*, quo nomine *Abyſſiniae* Principem fabulatores olim Ὀδύται deſignabant, non infelices cudit verſiculos; habet enim terram, ubi

Nulla venena nocent, nec garrula rana coaxat.
Scorpio nullus ibi, nec ſerpens ſerpit in herba.

Typis porro excuſum eſt Figmentum iſtud jam Sec. XV. non tantum ſolum, ſed etiam cum *Johannis de Heſe* Presbyteri *Trajectenſis Itinerario in Terram ſanctam* char. goth. ſ. l. et a. in 4. veriſimiliter *Argentinae.* Non tamen *Johannis* hujus partus eſſe poteſt, utpote, qui non, ut *Pezius* in Cod. *Tegernſeenſi* male legerat, anno DCCCLXXXIX. ſed, ut ipſemet in principio narrationis ſuae ait, anno MCCCLXXXIX. in peregrinatione ſua verſabatur: exemplum vero in *Cod.* noſtro jam Sec. XII. deſcriptum ſit. Finit autem in *Cod.* noſtro in iis verbis: *acſi omni genere ciborum eſſemus impleti.* quibus, quod gaudeo, Librarius adjecit: *Si uis credere, crede.* In impreſſis adjectum eſt aliud *Caput*, inſcriptum: *Quare hoc nomine presbiteratus* (Imperator Habeſſ.) *inſigniri voluit*, quod etiam in edit. *Antverp.* a *Nic. Mamerano* 1565. 8. procurata legas. Duo addam: primum, videri *epiſtolae* hujus nullam fuiſſe notitiam ſolertiſſimo *Jobo Ludolfo* in ſuis de *Aethiopia* lucubrationibus; alterum, adornaſſe ex ea *Julianum Datium Florentinum* Cantus duos rhythmicos, *Primo e ſecondo Cantare dell' India*, qui lucem videre *Romae* 1494. 4. ut docet *Joh. Bapt. Audiffredius* vir doctiſſimus in egregio ſuo *Catalogo hiſt. crit. Romanar. Editt. Sec.* XV. *Romae* 1783. 4. procuſo.

V. *fol.* 187. p. 2. *Prefacio in ſermonem Bernhardi abbatis clareuall. habitum ad epiſcopos in concilio remenſi.* Extat Cento iſte *Bernar-*